



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

5. A cæli motu nos mutabilitatis nostr[a]e admoneri.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45701**

sub terra scripsit Orestis corpus cubita longitudinis habens septem, qua faciunt pedes duodecim, & quadrantem: nisi si (ut Homerus opinatus est) vastiora prolixioraq; fuerint corpora hominum antiquorum, & nunc quasi iam mundo senescente rerum atque hominum decremēta sunt. Dentes quoq; & in primis septem mensibus, & septenos ex utraq; parte gigni ait, & cadere annis septenis, & genuinos adnasci annis fere bi septenis: venas etiam in hominibus, vel potius arterias, medicos muscos dicere, ait, numero moueri septenario: quod ipsi appellant τὴν διὰ τῆσδε σὺμμετρίαν; quæ sit in collatione quaternarij numeri. discrimina etiam periculorum in morbu, maiore vi fieri putant in diebus, qui conficiuntur ex numero septenarij, eosq; dies omnium maximè, ita ut medici appellant ἑπταήμερον ἢ ἑπταήμερον, cuiquã videri primam hebdomadam, & secundam, & tertiam. Nec non id etiam est ad vim facultatemq; eius numeri augendas, quòd, quibus inedia mori consuetum est, septimo demum die mortem appetunt.

Hanc numeri septenarij vim obseruauit Varro, seruauit semper natura, & à cælo haustam etiam animalibus impressit; immò ipsum cælum, ipsa sidera, ipsos planetas in animalibus effigiauit, vt haberemus vbique mutationis nostræ monumenta. Sicut enim Mathematici ac Poëtæ stellas in animalium imagines distribuerunt; ita ante eos cælum suis nominibus figurisq; bestias decorauit. Hinc sunt in terra stelliones, in aqua stellæ & pisces, qui quia suis vndique radijs diuiduntur, Asteres; quiq; Lunæ, ob semicirculi similitudinem appellantur. Quin & hominum nonnulli Lunatici sunt; nonnullorum morbi ad Lunæ incrementum crescunt, & decrescunt, vt de mensuris feminarum fluxibus nihil dicam. Quid hæc omnia aliud sunt, quàm quidam nostræ fragilitatis præcones, qui & de cælo clamant, & de elementis, eius nos naturæ esse, cui vndique vanitatis suæ vilitatisq; vel causæ ostenduntur, vel argumenta, siue ea, quæ supra se, vel iuxta se sunt, intueatur? Nam cælum motu, stellæ ortu & interitu, Planetæ effectū, nostram nobis mobilitatem mortalitatemq; ingerunt. Ita enim & homo continuò mouetur, & numquam, Iob. 14. 2 in eodem statu permanet. Ita, instar solis, deliquia patitur, obscuratur, occidit. Ita sicut luna mutatur, neque menstrua tantùm, sed etiam diaria patitur decremēta. Quare, qui à cæli influxu

T pende-

V.

pendemus, à cælo docemur, naturam quoque nostram esse fluxam.

VI.

Sed terra quoque idem facit, in qua firmissima quæque & robustissima subeunt corruptionem. Quid ferro fortius? senescit, & rubigine eroditur. Quid validius saxis? vetustate exciduntur, & mollissimis aquæ guttis excavantur.

Ouid. lib. 3.  
de arte.

*Quid magis est durum saxo? quid mollius vnda?*

*Dura tamen molli saxa cavantur aqua.*

Lucret. lib. 4.

*Nam leuiter quamuis, quod crebro tunditur ictu,*

*Vincitur in longo spatio tamen atq; labascit.*

*Nonne vides etiam guttas in saxa cadentes*

*Humoris longo in spatio pertundere saxa?*

Et rursus Naso :

Ouid. lib. 4.  
de Ponto.

*Gutta cauat lapidem; consumitur annulus usu,*

*Et teritur pressa vomer aduncus humo.*

Quid rupe solidius, quid vastius monte? Et tamen aliquando solidissimæ rupes, Caucasijque montes ingenti terræ motu concutiuntur, immania saxa dissipantur, & suis sedibus excussa aliò transferuntur. Quid inde potest colligere, qui rectè vult ratiocinari? An non debet cum Iob dicere? *Mons cadens destruit: & saxum transfertur de loco. Lapidem excavant aquæ: & alluione paulatim terra consumitur: & hominem ergo similiter perdes.* Videmus exundantibus aquis, aut vasantibus ventis, amplissimis spatijs extensa nemora & filuas, arces munitissimas & ædificia æternitatem promittentia, radicitus conuulsa, quid aliud ipstruimus, quàm & nos casuros? Quoties per hortos imus, per prata expatiatur, per gramina incedimus, violas, rosas, lilia, amarantuos intuemur, nonne natura nobis dicit? *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miserijs, qui quasi flos egreditur & conteritur.* Vernat hodie, ridet hodie, jucundissimo decore blanditur oculis hodie, cras calcatur, lachrymatur, falce mortis demetitur, *cras in clibanum mittitur.* Ausonij certè fuit ista cogitatio, quam his versibus expressit.

Iob. 14. 18.

Iob. 14. 1.

Luc. 12. 28.

*Mirabar celerem, fugitiua etate rapinam,*

*Et dum nascuntur, consensisse rosas.*